



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

Vita Nicolai Papae IV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

V I T A
NICOLAI PAPÆ IV.

ANNO
CHRISTI
1288.

NICOLAUS quartus, patria Afculanus, ordinis Minorum generalis, dictus ante Hieronymus, religionis & pacis amator, ex cardinale presbytero sanctæ Sabinae creatus est pontifex maximus octavo Kalendas Martii, anno millesimo ducentesimo octuagesimo octavo. Sub imperio Rudolphi imperatoris seditionibus Romæ cohortis discedens, Reate profectus quosdam ibi cardinales ex omni fere religione creauit. Rebus tranquillioribus redditis, ad Urbem rediit, ecclesiamque sanctæ Mariæ Maioris refarciuit, cardinalis Columnæ auxilio adiutus, partes quoque anteriores ecclesiæ Lateranensis reparauit. Certis adiectis conditionibus, Aragoniæ regem cum Neapolitano reconciliauit. Ptolemaidi per Soldanum obsessæ bis mille & quingentos milites propriis expensis auxilio misit. Carolum duobus regnis Siciliensi & Neapolitano inuestiuit. Legatos misit ad reges Franciæ & Aragonum, vt eos ad ferendas terræ sanctæ suppetias induceret. In quo cum frustra se laborare intelligeret, tristitia & amaritudine confectus, post annos quatuor, mensem vnum, & dies octo administrati muneris pontificii anno millesimo ducentesimo nonagesimo primo, mense Decembri, vt ait Trithemius in chronico Hirsaugiensi, Romæ mortuus in ecclesia sanctæ Mariæ Maioris cum honore sepultus est, & vacauit sedes apostolica annis duobus, mensibus tribus, & diebus octodecim, idque propter discordiam cardinalium hac de causâ Perusii congregatorum.

A Nicolao huius nominis quarto, non tertio, edita est illa constitutio decretalis tit. de verb. signific. in 6. qua recte & bene definitur, sanctam, meritoriam, perfectissimam, & quandoque per Christum verbo & exemplo predicatam esse illam Minoritarum paupertatem, qua, solo vsu sibi asseruato, rerum dominia a se remouent. *Bellarminus libro quarto de Rom. pont.*